



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXCV. Ioannis Papae VIII. Ad Oteramvm Viennensem  
Archiepiscopvm. Agit de Optando episcopo, eius literis respondens: & de  
literis, quas scribit episcopo Mauriennensi, vt Romam veniat.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

Agit de Optando episcopo, eius literis respondens: & de literis, quas scribit episcopo Mauriennensi, vt Romam veniat.

*Oteramo Viennensi archiepiscopo.*

**S**VSCEPTIS vestræ fraternitatis apicibus, quod essent alicuius, vt ita dixerim, rectitudinis zelo compositi, fati vbertim cognouimus: quia post plurima in ecclesia Geneuensi fatemini vos consecrassè episcopum, & vt quidam Optandus nomine clericus aduenerit, qui in ecclesia Geneuensi nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus vnquam extiterat, ecclesiam illam inuaserit. Multipliciter admiramur, cur illa nescire vos dicitis, quæ totus vt remur occidens non ignorat. Præcedenti siquidem tempore nobis fuerat nuntiatum, vt vos in eadem ecclesia episcopum consecrare contempseritis: ideo nos, necessaria temporum qualitate perspecta, clericis eiusdem ecclesiæ suggerentibus, auctoritate apostolica illic episcopum Optandum nomine consecrauimus. Qua ex re non bene vos fecisse probamus, qui super ordinationem nostram obices manus habuistis, & alterum episcopum ibidem ordinastis. De hoc autem quod dicitis, quod ipse Optandus in Geneuensi ecclesia nec baptizatus, clericatus, ordinatus, acclamatus, eruditus vnquam extiterit, interim silentio est tegendum, eo quod, cum caritate vestra loquamur, nihil horum habens vestra sanctitas in Viennensi ecclesia est consecrata. Verumtamen his interim necessario prætermisiss, sanctimoniam vestram iam dudum literis nostris monuimus, vt quia quædam vobis a quibusdam obiiciuntur, quæ synodali discussione sunt corrigenda, omni excusatione remota, VIII. Kalendas Octobris futuræ indictionis primæ, Romam ad Synodum occurrere studeretis. Nihilominus autem iterato decernimus, vt eodem tempore apostolicæ nostræ vos præsentetis præsentia: vt tunc & de vobis obiectis rationem reddatis, & si

aduersus eundem episcopum a nobis consecratum aliquam querelam habetis, nos canonico valeamus, quidquid illud fuerit, Deo iuuante, libramine diffinire. Ceterum Adalberto Mauriennensis ecclesiæ episcopo auctoritatis nostræ literas, quas ei a vobis dari mandamus, ecce transmisiimus, vt cum Bernario Gratianopolitanæ sedis episcopo eodem VIII. Kalendas Octobris Romam occurrat: quatenus de his, quæ ei irreuerenter tam temerario ausu sui ordinis immemor intulit, coram nobis plenissimam satisfactionem exhibeat.

## EPISTOLA CCXCVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ADALBERTVM EPISCOPVM MAURIENNÆ.

Iubet vt Romam veniat cum episcopo Gratianopolitano, quem ignominiose tractarat.

*Adalberto Mauriennensi episcopo.*

**T**RISTIS nos nuntius perculit, quando audiimus, quod tu ordinis tui immemor Bernarium Gratianopolitanæ sedis episcopum, hora matutinali in ecclesia sua publice agentem officium, cum multitudine populi, & armata manu, absque reuerentia ecclesiam ingrediens, nulla ab eo tibi culpa illata, irreuerenter tecum abstuleris, & ignominiose tractaueris. quod tantum nobis displicuit, quantum te temere egisse modis omnibus comprobamus. Ideoque nostri apostolatus literis tibi mandamus, vt omni excusatione remota VIII. Kalendas Octobris futuræ primæ indiçtionis, cum eodem Bernario venerabili episcopo Romam ad Synodum nostram occurras: vt quidquid inter vos litigii est exortum, nos æquitatis regula potiti, Deo iuuante, discutere & diffinire aliquomodo studeamus.